

trema quaeque quae scribas, nec emendes, longe optima nobis videantur, &c. Subjicit deinde auctoris ipsius de suo eodem opere iudicium. Verum utcumque sit, ita certe Sabellicus de his decem exemplorum libris sentiebat, quantum ad hanc aetatem aut legendo aut scribendo profecerat: quantum studio, cura, ingenio, elegantia valuerat: in his esse id omne congestum: unde posteritati se se praecipue commendatissimum faceret universae. Ac tandem suum etiam ipsius iudicium Egnatius profert. Nec ille opinione falsus est sua. Merentur enim hi libri, quos pro materia & brevitatem christiani nominis homines ediscant: non modo in manibus cotidie habeant. Etiam si postquam hoc historici nostri opus sit minus absolutum, attamen tam infinita exemplaria distracta sunt, ut iterum & saepius illud inpresserint Lipsiae anno M. D. XIII. & Basileae anno M. D. XXXIII. in 8. aliisque etiam annis. Neque hic omittam rem memoratu dignam. Egnatius, fortasse ob veterem suam cum Sabellico aemulationem, ipse quoque supremis vitae suae annis, quam explevit octogenarius VI. nonas julias anni M. D. LIII. simile opus composuit novem in libros digestum, quod ne ipsi quidem licuit ad perfectionem perducere, de exemplis illustrium virorum Venetae civitatis, atque aliarum gentium; ita ut istud etiam periisset, nisi ejus evulgandi cura esset suscepta per Marcum Molinum, Venetum patricium, Marci Procuratoris filium, cui Egnatius, pariter ac Lauretanis & Bragadenis, multa legaverat. Marcus autem Petro-Francisco Contareno, avunculo, hoc idem opus nuncupans, Is, inquit (scilicet Maximus Valerius) omnia quae in aliis scriptoribus passim legebantur exempla in unum congestit. Hunc postea secuti Fulgosius & Sabellicus doctissimi viri, neque pari sollicitate ediderunt. post vero omnes Egnatius, vir ob egregiam eruditionem omni memoria dignus, hanc spartam sibi exornandam suscepit: tantumque in hoc scribendi genere profecit, ut priores omnes multis partibus superaverit, solusque visus sit omne tulisse punctum.

Duo etiam dicenda remanent ad hanc vitae scriptorumque Sabellici enarrationem: alterum est, ut referam illustrium virorum testimonia, qui de ipso cum laude meminerunt; alterum, ut lectorum oculis integrum, quantum potero, eorum operum catalogum subjiciam, quae vel edita sunt, vel numquam praelo mandata, fortasse eadem, quae auctor suus, fata subierunt.

Plura nos haecenus congestimus insignium scriptorum de Sabellico nostro testimonia; multa protulit Thomas Pope Blount in *Censura celeberrimorum authorum* pag. 505. & seqq. auctoris Genevensis editionis anni M. DC. LXXXVI. in 4. quae consulto nos omittimus, sicuti & alia innumera, ne opus hoc ultra modum crescat: placuit pauca tantummodo, quae viderentur praestantiora, feligere. Ac primum confidero, quanto illum honore Senatus Venetus sit profecutus, qui ejus effigiem in Comitio posuit (sic locum appellare cum Sabellico placet, quo convenire solet patricius ordo magistratuum creandorum causa) inter Gregorii Amatei, Georgii Merulae, aliorumque doctorum hominum imagines, teste Sanfovino, libro *Venetiarum* octavo; quod Comitium celeberrimorum pictorum tabulis ornatum, quarum singulis adjectae erant ab eodem Sabellico epigraphae, anno M. D. LXXVII. foedissimo absumptum est incendio, quamvis postea sit ea restitutum magnificentia, quam hodie universi mirantur. Pierius Valerianus in praefatione ad quadragesimum